

tur id factum esse scandali vitandi causa; ut patet ex ipsomet textu evangelico, ibi: *Ut autem non scandalizemus eos, vade, etc.* Imo ex hoc ipso loco doctores nostræ sententiæ fortissimum pro se formant argumentum, ut jam supra n. 206 declaratum fuit.

224. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Ad illud *Rom. xiii, 1*, ac nonnullos alios consimiles textus sacræ Scripturæ respondetur, ibi solum dici, quod generatim omnes homines, etiam clerici, debeant subditi esse legitimis suis superioribus, eisque debitam reverentiam et obedientiam exhibere: nulli autem dici, quod reges sæculi sint legitimi superiores, ac iudices clericorum. Alioquin quippe oves pastoribus, filii parentibus, ac temporalia spiritualibus præeminent, Bellarminus, cit. lib. I, de *Clericis*. cap. xxx, § *Quarto*. et concordat. c. *Solitæ*, de *Majorit. et obed.*

225. *Solvuntur rationes oppositæ sententiæ.* — Nec urget exemplum sancti Pauli, appellantis ab Cæsarem, *Actor. xxv, 11*. Nam ibidem Paulus apostolus fuit actor contra Festum iudicem injuste se gravantem, ac Judæis tradere volentem; est autem generale, quod actor sequatur forum rei, c. *Cum sit generale*. h. t. cum similibus. Unde etiam de facto clericus agens contra laicum in causa temporali, tenetur ipsum convenire coram iudice sæculari. Tacetur, quod illis temporibus Ecclesia nondum habuerit plenum usum, atque exercitium suæ potestatis ac juris, sed tantum quoad habitum et originem.

226. *Ecclesia et clerici, de agris, ac possessionibus solvunt tributa, aliæque onera realia.* — Ad confirmationem, et diversos textus juris canonici n. 195 allatos, respondetur plerosque canones, in quibus dicitur primitivam Ecclesiam ex agris, seu de exterioribus suis, solvisse tributum, commode explicari de tributis aliisque oneribus mere realibus, quæ ab antiquo bonis illis imposita fuerunt, sicque cum onere suo ad Ecclesiam pervenerunt, ut loquitur Glossa ibidem allegata: ex hoc autem nihil sequitur contra nostram sententiam. Quinimo etiamnum hodie ecclesiæ, atque clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ, de agris, ac exterioribus suis possessionibus, id quod antiquitus constitutum fuit (hoc est, tributa, aliæque onera realia) pro pace et quiete, qua eos tueri et defensare debent, imperatoribus, aliisque principibus sæcularibus persolvere tenentur, can. *Tributum*. 23, q. 8, atque incunctanter sol-

vunt, cap. 1, juncta Glossa 7. *Præter ecclesiasticum. de Censib.* et *Clem. 4*, eod. haud obstante, quod nunc indubitate constet de privilegio fori ipsis competente.

227. *Quid de aliis tributis?* — Quod si nonnulli canones velint Ecclesiam olim de agris suis alia etiam tributa solvisse, respondetur id sub initio nascentis Ecclesiæ, atque ad exemplum Christi Domini, didrachma solventis pro evitando pusillorum scandalo, *Matth. xvii, 26*, observatum fuisse, non de jure, sed de facto; quia tunc clerici, ipsæque ecclesiæ, principibus sæcularibus etiamnum paganis quoad hoc parere debebant, ne christiana fides ac religio majus damnum pateretur. Piring, h. t. n. 112. Quinimo in publicis necessitatibus, ac servatis servandis, quæ continentur in c. *Non minus*. 4, et c. *Adversus*. 7, et *Clem. un. de Immunitat. Eccles.* etiam de facto clerici præstant laicis extraordinaria subsidia, seu novas collectas, absque ulla ipsorum subjectione ad istos.

228. *Privilegia circa clericorum exemptionem non sunt, nisi juris declaratio.* — Ad alios textus juris, n. 196 relatos, in quibus exemptio clericorum attribuitur privilegiis, et constitutionibus tum canonicis, tum imperialibus, resp. cum Glossa in can. *Si Imperator*: dist. 96, quod hujusmodi privilegia, et constitutiones, quæ emanarunt circa clericorum exemptionem, « non sunt nisi juris declaratio: » hoc est, non continent jus novum, sed dumtaxat juris antiqui, naturalis videlicet ac divini, declarationem. Nam, ut inquit Alex. Sperellus cit. decis. 37, *Fori ecclesiast.* n. 1, post rotam decis. 10. n. 2, de *Consuetud. in antiquiorib.* et Suarez in *Defens. fidei catholice*, lib. IV, cap. viii, n. 9, et seqq. dicta immunitas clericorum, quæ immediate ac proprie est de jure divino, postmodum a jure canonico, declarante jus divinum, detecta fuit, et quoad usum atque exercitium a principum orthodoxorum sanctionibus emanata, et stabilita: sicque potest dici esse de jure humano positivo quoad declarationem, confirmationemque, et quoad usum ac exercitium ejus (hæc enim proxime habentur ex canonicis constitutionibus, et imperialibus, privilegiis), non autem secundum se, ac proprie: sic enim immediate provenit ex jure divino.

229. *Ecclesia, seu Papa, potuit moderari, ac limitare exemptionem clericorum; et cur?* — Ad rationem n. 197, in favorem prioris sententiæ allatam, negatur sequela. Licet enim

exemptio clericorum, ipsaque immunitas ecclesiastica, secundum se ac generatim spectata, sit juris divini, tum naturalis, tum positivi, ac per Ecclesiam declarati: nihilominus quoad casus individuales, seu quantum ad ejus executionem in particulari, ejusdem determinatio ac moderatio pertinent ad iudicium, atque ordinationem Ecclesiæ, Christiane in terris vicarii, Romani Pontificis, arg. c. *Inter corporalia de Translat. episc.* Ubi dicitur quod Romanus Pontifex, Christi vicarius, possit etiam spirituale conjugium, inter episcopum et Ecclesiam contractum, ac divino solum iudicio reservatum, propter ejus translationem, depositionem aut cessionem dissolvere: « Non enim (ait textus tunc) humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur. » Simile quid contingit in residentia clericorum in beneficiis curatis, quam esse juris divini passim fatentur doctores, conformiter concilio Trident., sess. 23, cap. 1, de *Reform.* et tamen quoad casus particulares plurimas a sacris canonibus, et Sede apostolica, patitur moderationes, dispensationes ac limitationes. Tacetur, quod ipsum præceptum naturale, ac divinum Decalogi, *Non occides*, patitur limitationem id casu belli legitima auctoritate indieti, vel quando auctoritate publica occiduntur malefactores, cum aliis similibus.

230. *Extensio privilegii fori ad personas regulares, facta est auctoritate Ecclesiæ.* — Ad extensionem privilegii fori in ordine ad monachos, et moniales, patet per idem. Licet enim hujusmodi extensio, ob favorem religionis, aliisque gravissimis de causis, ad hujusmodi personas regulares facta fuerit auctoritate Ecclesiæ: ipsa nihilominus privilegium exemptionis jam antea competeat statui clericali, per jura et fundamenta superiorum allata.

231. *Immunitas localis, seu jus asyli, competit ecclesiis jure humano.* — Porro immunitatem localem ecclesiarum, vulgo *Jus asyli*, non competere ecclesiis, aliisque piis locis, jure divino, ac naturali, sed dumtaxat jure humano positivo, tum ecclesiastico, tum imperiali: fatetur quidem communior doctorum, atque egometipse docui in *Theologia morali*. tract. XII, dist. 2, n. 2, et seqq. exinde tamen nihil infertur contra conclusionem nostram. Tum quia immunitas localis jam gaudet alio privilegio sibi competente ex jure naturali, ac divino; videlicet, ut actus profani, ac mere sæculares, a locis sacris ar-

ceantur; tum quia jus asyli est valde diversum ab immunitate reali, et personali: ex diversis autem non valet illatio ab uno ad aliud, l. *Duobus*. ff. de *Testament. tutel. card.* Tuschus, littera A concl. 518, n. 2, id ulterius probans ex l. *Papinianus*. ff. de *Minoribus*. (ADNOTATIO XXXIV.)

§ X.

ALIA DUBIA CIRCA PRIVILEGIUM FORI CLERICORUM SOLVUNTUR.

232. *Privilegium fori clericorum, an possit tolli a Papa?* — Quæritur I. Utrum exemptio clericorum sive privilegium fori, possit tolli a summo Pontifice? Resp. I. Quamvis Papa ex toto, ac simpliciter, privilegium fori tollere non possit, cassando videlicet illud quoad omnes clericos omnesque eorum causas, nihilominus potest illud ex rationibus valde urgentibus, pro diversitate temporum et variarum circumstantiarum exigentia, quoad certas personas, causas, aut loca restringere atque immutare. Ita doctores communiter, tam illi, qui exemptionem clericorum asserunt esse de jure divino, quam qui hoc negant; licet, quantum ad posteriorem partem Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xxxi, n. 6; Farinacius, lib. I, *Criminalium*. tit. I, de *Inquisitione*. quæst. 8, n. 4; Castro Palao, tract. XII, de *Religione*, punct. 1. n. 7, et alii, bene observent istud posse facilius fieri quoad clericos primæ tonsuræ, quam quoad clericos in sacris constitutos.

233. *Papa nequit dispensare, aut immutare jus, quando inde resultat decoloratio status Ecclesiæ universalis. Nec privilegium fori clericorum ex toto tollere.* — Ratio prioris partis est: quia licet Papa « secundum plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare, » illudque ex causa rationabili de novo revocare, c. *Proposuit*. 4. de *Concess. præbend.*, non tamen potest hoc facere, quando ex tali dispensatione, seu immutatione, decoloraretur status Ecclesiæ universalis; ut docet Glossa ibid. 7. *Dispensare*, id probans ex can. *Memor sum*. 24, q. 1, et Abbas in c. *Proposuit*. n. 14, hoc ulterius probans ex can. *Etsi illa*. 4. q. 7; Archidiaconus in can. *Sunt quidem*. 25, q. 1, et alii. Siquidem potestas est tradita Papæ a Deo in ædificationem, et non in destructionem Ecclesiæ, II *Corinth.* x, 8 et XIII, 10, ac proinde, quod rectæ ejus gubernationi contrariatur, statumque Eccle-

sia universalis decolorat, ac deturpat, censetur de jure impossibile, l. *Filius qui*. ff. de *Conditionib. institut.* Atqui decoloraretur status Ecclesiae universalis, si privilegium fori simpliciter, ac ex toto tolleretur: sic enim spiritualia temporalibus, divina terrenis, ecclesiastica politicis, superioresque inferioribus, et pastores subicerentur ovibus, harumque judicio committerentur, et hac ratione omnia susque deque verterentur.

234. *Bene tamen in causis particularibus, ob rationes valde urgentes, immutare.* — Altera pars probatur ratione, a contrario desumpta; nam ex eo, quod Papa in causis particularibus, aut quoad certas dumtaxat personas ex rationibus valde urgentibus dispensando, declarando, vel ordinando, quidpiam immutet circa exemptionem clericorum, ne utique decoloratur status Ecclesiae universalis. Quinimo talis potestas in summo Pontifice, (qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, c. *Quanto, de Translat. episc.*) pro ipsarum ecclesiarum necessitate, atque utilitate requiritur; prout in simili dici solet de potestate dispensandi in votis, juramento, residentia, curatorum, et aliis similibus.

235. *Atque ita de facto contingit.* — Hoc ipsum, videlicet, quod ex causa valde urgente, ac rationabili fieri possit, quin et de facto facta fuerit quaedam restrictio ac limitatio privilegii fori, seu exemptionis clericorum quoad certas personas, causasque particulares, probatur inductione. Sic quippe contigit in clericis conjugatis non habentibus debitas conditiones in cap. ult. de *Cleric. conjugat.* in 6, requisitas. Item in clericis minoristis, qui nullam habent conditionem ex requisitis a concilio Trident. sess. 23, cap. vi, de *Reform.* Ac etiam in clericis incorrigibilibus; prout amplius ex dicendis in progressu patebit. Nam ex eo, quod talibus auferatur privilegium fori, quo se vel ob commissam crimina reddunt indignos, vel saltem ob defectum requisitarum conditionum minus dignos, non solum non deturpatur, sed potius conservatur status Ecclesiae universalis.

236. *Privilegium reipublicae Venetae, procedendi contra clericos, refertur.* — Insuper, quod Papa possit ex gravibus motivis cuiuspiam saeculari iudici, vel principi concedere seu delegare potestatem cognoscendi certas causas clericorum, tenet Glossa in can. *Bene quidem*. §. *Præter Romanum*. dist. 96; Abbas n. c. *Ecclesia sanctae Mariae*. n. 6, et Felinus ibid. n. 6, de *Constitut.*; Fagnanus in c. *Per-*

niciosam. n. 59, de *Offic. ordinari.*, dicens hanc esse communem opinionem; Julius Clarus, lib. V *Criminal.*, § fin. quæst. 41, n. 8, et Farinacius, cit. lib. I, tit. I, quæst. 8, n. 4, allegans alios. Atque ex his Gigas, lib. I, de *Crimine læsæ majestatis*, tit. *Quis de crimine læsæ majestatis cognoscere possit*, n. 20 et 21, testatur se vidisse et legisse privilegia reipublicae Venetorum a Sede apostolica concessa, vigore quorum in atrocioribus criminibus, ut puta læsæ majestatis, falsæ monetæ, ac nefandæ sodomiae, possint procedere contra quoscumque clericos, etiam in sacris constitutos: in cæteris autem criminibus contra illos solum, qui nec sunt beneficiati, nec in sacris ordinibus constituti. Et dictum privilegium a Clemente VII, reipublicae Venetae concessum, ex parte adducit Fagnanus in cit. c. *Ad audientiam*. n. 122. de *Rescript.* Sicut et regi Galliae ex privilegio, et auctoritate Romani Pontificis, competere facultatem cognoscendi certas causas ecclesiasticas, præter Barbosam, lib. I, *Jur. Eccles.* un. cap. xxxix, § 2, n. 161, referunt plures auctores.

237. *Laicus qualiter ex concessione Papæ possit procedere contra clericos.* — Nec obstat, quod in laicum jus spirituale non cadat, can. *Bene quidem*. dist. 96, et c. *Sacrosancta*. 51, de *Election.* et notat Glossa fin. c. *Causam*. quæst. 7, de *Rescript.* ac proinde non videatur, qualiter ex privilegio, seu speciali concessione Papæ, possit procedere contra clericos. Resp. enim hinc solum sequi, quod laici in propria auctoritate facere nequeant: secus, si id fit ex commissione, seu delegatione Romani Pontificis, utpote in causis criminalibus et civilibus clericorum, plenariam potestatem habentis. Ubi enim Papa committit laicis certas causas clericorum exequendas, non dat ipsis jus, ut hoc faciant propria auctoritate, sed ut id exequantur tanquam ministri et delegati pontificii; hoc est potestate delegata, et nomine Pontificis, in ejus persona fundatur jurisdictio, et cujus jurisdictione tunc laici illi utuntur, l. I, § *Qui mandatam*. ff. de *Offic. ejus cui mandata*. etc. Innocentius, in c. *Quod sicut*. et ibi Hostiensis, de *Election.*; Felinus, cap. II, n. 3, de *Majorit. et obed.*; Barbosa, d. cap. xxxix, § 2, n. 192, citans alios; et concordant dicta lib. I *Decretal.* tit. XXIX, de *Officio et potestate judicis delegati*. § 4, n. 92.

238. *Solvitur alia instantia.* — Nec etiam obstat, quod privilegium fori, juxta proba-

biliorum sententiam, competat clericis jure divino. Resp. enim cum Felino loc. c. n. 2. et 3; Archidiacono in can. *Sunt quidam*. 25. q. 1. et aliis, inde solum sequi, quod Papa dictum privilegium non possit tollere ex toto: secus, ex gravibus causis dispensando in particulari. His adde dicta superius § præc. n. 229.

239. *Privilegia procedendi contra clericos ver bullam Cœnæ revocantur.* — Notat tamen Barbosa, loc. cit. n. 194, post Martham de *Jurisdic.* part. IV. casu. 7. n. 12. et alios, quod hujusmodi privilegia procedendi contra clericos, si quæ laicis concessa fuerunt a Sede apostolica, revocentur per annuam publicationem bullæ *Cœnæ Domini*. Verum de hoc alii, attendendo præsertim, an dicta bulla ubique locorum quoad hoc sit recepta. (ADNOTATIO XXXV.)

240. *Non valet consuetudo, ut clerici coram iudice saeculari conveniantur in criminalibus.* — Quæritur II. Utrum consuetudine induci possit, ut clerici coram iudice saeculari conveniantur? Resp. I. Loquendo de causis criminalibus, certum est clericos ita coram iudice ecclesiastico conveniendos esse super quocumque crimine, ut non valeat ulla consuetudo in contrarium, etiam immemorialis. Textus est in c. *Clerici*, 8. de *Judiciis*, juncta Glossa fin. et doctores ibid. estque jam dictum supra, tit. præc. § 4. n. 86.

241. *Nec etiam ut in civilibus.* — Resp. II. Etiam loquendo de causis civilibus, nequit ulla consuetudine induci, aut cohonestari, ut clerici conveniantur coram iudice saeculari. Ita Abbas in c. *Clerici*. n. 8; et Joan. Andreas ibid. n. 3. de *Judiciis*; Carolus de Graffis, de *Effectibus clericatus*, effect. 1. n. 1. et seqq. hanc quæstionem plene pertractans; et alii, qui citatum capitulum, *Clerici*, expresse loquens de causis criminalibus, recte extendunt ad causas civiles: quidquid dubitare, ac limitare videatur Covarruvias *Pract. quæst.* cap. xxxi, n. 5. Concordat c. *Qualiter et quando*. 17. eod. ubi pontifex generaliter ac penitus interdicit, ne clerici ad saeculare trahantur iudicium, etiam data suorum prælatorum negligentia, illis verbis: « Ne pro defectu justitiæ clerici trahantur a laicis ad iudicium saeculare, quod omnino fieri prohibemus. » Ubi ponderandum ly *omnino*: quæ est dictio præcisa, habetque vim decreti irritantis; ut late ostendit Barbosa in *Dictionib. usu frequent.* dict. 240. n. 12. et seqq. Accedit ratio, quia talis consuetudo est contra libertatem ecclesiasticam: atqui con-

tra hanc ulla valet consuetudo, etiam immemorialis; prout fuse, ac ex professo dictum est lib. I. *Decretalium*, tit. IV. de *Consuetudine*. § 3. n. 61. et seqq. Ibi videatur.

242. *Clericus nequit renuntiare privilegio fori.* — Quæritur III. Utrum clericus possit renuntiare privilegio fori? Resp. cum communi doctorum negative. Quia enim privilegium fori non solum jure humano, verum etiam (juxta probabiliorem sententiam) divino, fuit introductum, non in privatum favorem personæ, sed in publicum totius ordinis clericalis; hinc clericus neque in causis criminalibus, neque etiam in civilibus, nec sponte, nec coacte, neque etiam accedente adversarii voluntate, aut juramento, potest renuntiare privilegio fori, et sibi iudicem laicum constituere, aut ejus jurisdictionem in se prorogare. Ita expresse dictum habetur in c. *Si diligenti*, 12, etc. *Significasti*. 18. h. t. Concordat can. *Nemo unquam*, et can. *Si quispiam*. et can. *Pervenit*, et can. *Inclitæ*. et can. *Placuit*. 11. q. 1. ubi hoc ipsum sub gravibus pœnis prohibetur. Accedunt dicta superius § 6. n. 140 et 141. de prohibita prorogatione jurisdictionis saecularis in clericum.

243. *Solvuntur instantiæ.* — Dices: Quilibet potest juri suo renuntiare; ergo saltem accedente adversarii consensu, potest clericus in causis temporalibus sibi laicum iudicem constituere. Resp. conformiter cit. c. *Si diligenti*, h. t., antecedens dumtaxat procedere, quando jus, seu privilegium cuiuspiam competens, est dumtaxat personale, id est, in merum favorem privatorum singularium concessum: secus, si quid pro bono publico sit concessum. Nam certum est, « pacto privatorum juri publico minime derogari, » prout ibidem loquitur Pontifex. Concordat textus in l. *Jus publicum*. ff. de *Pactis*. ibi: « Jus publicum privatorum pactis mutari non potest: » cum concordantiis.

244. *Privilegium fori non est beneficium personale, sed toti collegio ecclesiastico indultum.* — Sic autem fieret, atque privatorum pacto derogaretur juri publico, si clericus posset suæ exemptioni renuntiare; cum juxta cit. c. *Si diligenti*. h. t. privilegium fori « non sit beneficium personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pacto derogare non potest. » Idem de privilegio canonis clericorum habetur c. *Contingit interdum*. 36. de *Sentent. excomm.* ubi is, qui

in clericum, etiam volentem, manus injecerit violentas, atque injurias, declaratur esse excommunicatus; addita illa ratione: « Cum ille canonicus non tam in favorem clericis ordinati quam in favorem ordinis clericalis fuerit promulgatus. » Et merito: nam redundaret in opprobrium totius ordinis clericalis, si clerici, divinis officiis specialiter dedicati, per secularia judicia vagari, et patres a filiis dijudicari, aut injuriose verberari possent.

245. *Pacto privatorum, an juri publico derogatur?* — Urgebis. Pactis privatorum quandoque juri publico derogatur; ergo allata ratio non subsistit. Anteced. patet ex c. *Si de terra. 6. de Privileg.* et c. *Ad apostolicam 46. de Regular.* et L. ult. § fin. ff. *Ad S. C. Vellejan.* In quo postremo loco clare dicitur mulierem posse renuntiare privilegio, quod jure communi ex S. C. Vellejano toti statui muliebri ob ejus fragilitatem concessum fuit, ut non obligentur fidejussione: in prioribus autem, quod hinc possit renuntiare a novitiis anno probationis, illinc autem privilegio totum cupiam ordini concessio. Insuper in l. *Pasci. ff. de Pactis*, expresse dicitur: « quod pacisci contra edictum ædilium curulium omnimodo licet; » nimirum, ut non agatur de animali, etsi morbosum sit: et tamen edictum illud continet jus publicum. Tacentur similia plura.

246. *Privati, qui dicantur?* — Pro solutione hujus instantiæ, ac recta intelligentia illius dicti, « Pacto privatorum juri publico non derogatur; » notandum est primo, *Privatos* hic idem esse, ac personas singulares: nam neque episcopi possunt renuntiare privilegio fori, haud obstante, quod in alio sensu non sunt privati. Quandoque enim *Privati* dicuntur, qui non sunt præditi aliqua dignitate, arg. can. *Qui contra. 24. q. 1.* et explicat Glossa ibid. §. *Privati.*

247. *Jus publicum tripliciter distinguitur.* — Notandum est secundo jus publicum posse distingui tripliciter. Quandoque enim jure publico sancitur aliquid in merum favorem privatorum singillatim: et tali juri publico pactis privatorum renuntiare potest. Quandoque jure publico sancitur aliquid in favorem aliquorum pro publica utilitate ipsorum, et in odium aliorum, qui ipsis sæpe sunt iniqui, aut infesti: et huic juri publico nemo potest renuntiare. Quandoque autem, seu tertio, statuitur aliquid jure publico in favorem publicum: et huic etiam persona privata

renuntiare nequit, licet consequenter tendat in ejus favorem. Glossa in cit. c. *Si diligenti.* §. *Privato privatorum*, et amplius declarat Abbas ibid. n. 7.

248. *Mulier potest renuntiare senatus-consulto Vellejano, non autem filiusfamilias senatus-consulto Macedoniano; et cur?* — Ac per hoc patet ad instantias n. 245 factas. Nam per jura ibidem allegata sancitur quidpiam, quod est introductum solummodo in favorem aliquorum singillatim: secus est in nostro casu, ubi privilegium fori clericorum constat esse introductum in publicum favorem totius collegii clericalis. Unde in simili, quamvis mulier possit renuntiare senatus-consulto Vellejano, utpote in favorem ipsius tantum introducto; non tamen potest filiusfamilias renuntiare privilegio senatus-consulto Macedoniano, ratione cujus non obligatur creditoribus vi mutui: quia istud est introductum tum in odium creditorum, tum in favorem publicum parentum, quorum vitæ alioquin filii, aut filiefamilias insidiarentur, ut debita contracta ex obtenta paterna hereditate solverent, Glossa, Abbas, ubi supra, et alii.

249. *Clericus actor debet convenire laicum coram iudice suo seculari.* — Queritur IV. An in nullo prorsus casu clericus coram iudice seculari conveniri possit? Dicitur notantur, *conveniri*: quia si clericus actor, seu petitor existens, laicum super re temporali in iudicio conveniat, ejus iudicem sæcularem adire debet, can. *Experientia.* et can. *Si quisquam. 14. q. 1.* Nam generale est, ut actor forum rei sequatur, can. *Neminem. 3. q. 6.* et cap. v. et 8. h. t. Hinc etiam sanctus Paulus apostolus, cum injuste a Festo præside gravaretur, ad Cæsarem appellavit, *Actor. xxv. 2.* Hoc prænotato,

250. *Regula de privilegio fori clericorum plures patitur fallentias.* — Resp. Regula illa de privilegio fori clericorum plures patitur limitationes, seu fallentias; adeo, ut Stephanus Aufrerius, tom. II. *Tractatum, tract. de Potestate secularium super ecclesiis, et personis ecclesiasticis, reg. 4,* viginti et unam fallentias adducat, in quibus clerici coram iudice seculari de criminibus conveniri possunt: et reg. 2 ponit triginta tres fallentias, in quibus clerici quoad causas civiles possunt coram iudice laico conveniri. Verum cæteris dimissis juvabit principaliores dumtaxat afferre.

251. *I. In causis feudalibus.* — Primo itaque fallit regula illa in feudalibus. Si enim clericus a sæculari domino feudum acceperit,

tenetur ratione illius feudi coram domino sæculari iudicium subire; et convenitur coram eo in actionibus tam realibus, quam personalibus, feudum concernentibus, c. *Ex transmissa*, et c. *Verum* h. t. estque amplius declaratum, lit. præc. § 5 per totum.

252. *II. In clericis conjugatis; et quando?* — Fallit secundo in clericis conjugatis: nam hi in rebus suis non gaudent privilegio clericali; ac proinde, sicut alii conjugati, tenentur præstare consuetas exactiones, aliaque servitia, c. *Ex parte. 9. de Cleric. conjugat.* Quin etiam de facto penitus non gaudent privilegio fori, nisi simul habeat tres illas conditiones, quæ ad hoc requiruntur in cap. ult. *de Cleric. conjugat.* in 6. et concilio Trident., sess. 23, cap. vi. *de Reform.* ut nempe cum unica, et virgine contraxerint; ut deferant tonsuram, et vestes clericales; et ut ab episcopo deputati, cuidam ecclesiæ inserviant.

253. *III. In clericis minoristis, nullam ex requisitis conditionem habentibus.* — Tertio fallit allata regula in clericis minoristis, nullam ex conditionibus requisitis a concilio Trident. cit. sess. 23, cap. vi. *de Reform.* habentibus. Siquidem expresse ibidem statuitur, ut clericus in minoribus constitutus « privilegio fori non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat; aut clericalem habitum, et tonsuram deferens, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat; vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos, versetur. »

254. *IV. In clericis histrioniam exercentibus.* — Fallit quarto in clericis histrioniam exercentibus. Nam, si quis eorum per integrum annum artem illam ignominiosam exercuerit, ipso jure privatus existit omni privilegio clericali; si autem tempore breviori, et tertio monitus non resipuerit, tunc saltem per sententiam amittet omne privilegium clericale. Textus est in cap. un. *de Vita et honest. cleric.* in 6.

255. *V. In clerico ter admonito, et incorrigibili.* — Fallit quinto in clerico ter admonito, et adhuc incorrigibili. Nam si clericus de gravi crimine, v. g. furto, homicidio, perjurio fuerit convictus, is primo deponendus est ab episcopo: et si depositus, adhuc incorrigibilis sit, est excommunicandus, et successive anathematizandus: et si in profundum malorum veniens contempserit, per ju-

dicem sæcularem comprimendus, c. *Cum non ab homine. 10. de Judiciis.* Quo in loco dari a lege fictam degradationem, et traditionem curiæ sæculari, notat Menochius *de Arbitrar. judic.* casu 445. n. 29. et Barbosa l. I. *Juris Eccles. univ.* cap. xxxix, n. 82, citans alios, idque a simili probans ex cap. i. *de Homicid.* in 6. Quanquam alii cum Glossa fin. in d. c. *Cum non ab homine*, requirant actualem traditionem curiæ sæculari: atque istud securius esse dicat Fagnanus ibid. n. 25. de quo vide dicta superius tit. præc. § 4. n. 107. et seqq.

256. *VI. In clericis crimen assassinii committentibus.* — Fallit sexto in clericis crimen assassinii committentibus, vel mandantibus. Nam hi communiter numerantur inter amittentes ipso jure privilegium fori, juxta cit. cap. i. *de Homicid.* in 6. ubi statuitur, quod præter personas sæculares quilibet prælatus, vel clericus, qui per assassinos quempiam interfecerit, vel mandaverit (etiam morte non secuta) « excommunicationis, et dispositionis a dignitate, honore, ordine, officio et beneficio incurrat pœnas ipso facto... si que a toto christiano populo perpetuo diffidatus: » id est, orbatus, et absque spe auxilii et favoris, et consequenter omni prorsus clericali privilegio destitutus. Verum ex nova constitutione Clementis VIII, quæ incipit, *Æqua et circumspecta* (atque refertur, tom. III. *Bullarii Romani*, constit. 37. dicti pontificis) non potest iudex laicus procedere, et punire clericum pro crimine assassinii, nisi præcedente declaratione iudicis ecclesiastici.

257. *VII. In clericis, qui se immiscent enormitatibus.* — Fallit septimo in clericis, qui se immiscent enormitatibus, id est, pluries talia crimina perpetrant, ex quibus incurritur infamia. Nam tales concurrentibus certis conditionibus, de quibus fuse doctores, amittunt privilegium fori, arg. c. *Perpendimus. 23.* et c. *In audientia. 25. de Sentent. excomm.*

258. *Refertur circa hoc declaratio sacre congregationis concilii Trident.* — Notat tamen Barbosa, cit. cap. xxxix, § 2. n. 75, sacram congregationem concilii Trident., in una Motulensi 1 februar. 1620, declarasse, quod « Clericus, qui in habitu et tonsura se immiscent enormitatibus, et vicibus pluribus, censeatur absque monitione renuntiasse privilegio clericali: secus, si in habitu laicali hæc perpetrasset, quia tunc requiritur monitio. » Et quidem trina, c. *Contingit. 45.* et d. c. *In audientia. de Sentent. excomm.*